

Rector & Senatus Academiae Rostochiensis Cives Studiosos,ne iuramenti, quo Deo & Magistratui sunt obligati, ... a Monomachiis seu Duellis Ad Officium verorum Studiosorum Academicorum ... expressam denunciat : [P. P. sub Sigillo Rectoratus, d. VII. Maii A.O.R. MDCLXXII.]

Rostochii: Kilius, [1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730547825>

Druck Freier  Zugang



1672





RECTOR

26

&

SENATUS ACADEMIÆ RO-
STOCHIENSIS
CIVES

STUDIOSOS,

ne juramenti, quo DEO & Ma-

gistratui sunt obligati, immemores, præ-

decorum & contra leges juratas

agant

in multis aliis ordinis Academici de honestamentis,

in occasione propiorum savitiæ exemplorum.

MONOMACHIIIS seu DUELLIS

Ad Officium verorum STUDIOSORUM
ACADEMICORUM

Ex ipsius Academiæ, Parentum, patriæ, votis & expe-
ctationibus faciendum, eâ, quâ fas est, autoritate & pa-
trio affectu vocat

contumacibus autem pœnam statuto veteri
expressam denunciat.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr.



N æternum Academicorum, quondam Punicorum, malè feriatorum Juvenum, dedecus & infamiam abit, quod impatiens prodigiôsæ illorum, projecto conculcatoq; omnipudoreferos Cyclopum ritus æmulantium, studiorumque tranquillitatem miris modis interturbantium, licentiæ, abdicatâ Professoris Rhetoris spartâ, emigrare Carthagine & ad Academiam Romanam transire maluerit, quo deinceps orbis Christianus in Patrum palatio, aureum, vel augustum magis Nomen non habuit, Magnus AUGUSTINUS, & hujus ipsius consilii, quo Carthagine Romam permutavit, rationem sequentibus verbis (l. V. Confess. c. 8.) ipse peroraverit: *Non ideo Romam pergere volui, quod majores quæstus, majorq; mihi dignitas ab Amicis, qui hoc suadebant, promittebatur, quanquam & ista ducebant animum tunc meum: sed illa tunc erat causa maxima & penè sola, quod audiebam, QUIETIUS IBI STUDERE ADOLESCENTES, ET ORDINATIONE DISCIPLINÆ COERCITIONE SEDARI. Contra apud CARTHAGINEM, FOEDA EST ET INTEMPERANS LICENTIA SCHOLASTICORUM. Irumpunt impudenter & propè furiosâ fronte perturbant ordinem. Multa injuriosa faciunt, mirâ hebetudine & puniendâ legibus, nisi consuetudo patrona sit, hoc inferiores eos ostendens, quo jam, quasi liceat, faciunt, quod per divinam æternam legem nunquam licebit, & impune se facere arbitrantur, cum IPSA FACIENDI COECITATE PUNIANTUR, & incomparabiliter patientur pejora quàm faciunt. Ergò QUOS MORES, CUM STUDEREM, MEOS ESSE NOLUI, EOS CUM DOCEBAM, COGEBAR PERPETI ALIENOS: & ideo placebat ire, ubi talia non fieri, omnes qui noverant, indicabant.* Ita loco allegato AUGUSTINUS, de quo quàm deinceps, postquam sub AMBROSIO Mediolanensi ex Manichæismo, cui diutiùs & tenacius adhæserat, eluctatus erat, incomparabilis Ecclesiæ Doctor, & invictus veritatis Catholicæ
contra

contra Manichæos, Pelagianos, Donatistas, propugnator
 evaserit, in epistolâ ad Alfonso Fonceam Archiepiscopum
 Toletanum, totius Hispaniæ primatem, non dissimulavit,
 quin dignâ tanto Patre laude, parique facundiâ commemora-
 vit Erasmus: *Non arbitror, inquit, alium esse Doctorem, in quem
 opulentus juxta ac benignus Spiritus dotes suas omnes largius effu-
 derit, quàm in AUGUSTINUM, quasi voluerit in unâ tabulâ vividum
 quoddam EPISCOPI exemplar representare, omnibus virtutum nu-
 meris absolutum, quas post Christum Episcoporum Principem, Paulus
 & Petrus requirunt in his, qui pascendum Domini gregem suscepe-
 runt.* Nec minùs memorabile, quod de M. VARRONIS, inte-
 gerrimi sanctissimiq; (prout Oratorum Principi appellatur) viri
 fundo Casinate in seffo disparibus DOMINIS, VARRONE &, post
 hunc, ANTONIO, in Philippica 2. lamentatus olim Verbipo-
 tens Romæ Consul M. Tullius, ita pro rostris Antonium allo-
 cutus: **STUDIORUM, NON LIBIDINUM M. VARRO VO-
 LUIT ILLUD ESSE DIVERSORIUM.** *Quæ in illâ villâ antea
 dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? Jur a po-
 puli Romani, monumenta majorum, omnis sapientia ratio, omnisq;
 doctrina. At vero, Te inquilino, personabant omnia vocibus ebrjo-
 rum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri
 cum meritoris, scorta inter matres familias versabantur. Quàm
 multos dies in eâ villâ turpissimè es debacchatus? Abborâ tertiâ lu-
 debatur, bibebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, quam à dispa-
 Domino tenebantur! Agnoscitis facilè, JUVENES ACADEMI-
 CI, ad præclara Virtutis & doctrinæ exempla nati, & à vestris
 Parentibus patriæque destinati, quorsum hæc, quæ de Cartha-
 gine, quæ de fundo Varronis præmisimus, tendant. Magna
 Juvenum est gloria, si ipsi DEO ex illo Juventutis flore paretur
 gaudii seges & materia: prout contrâ, flebilis elegia, si Cœli ter-
 ræque Dominus, quam vel ex ipso infantiû lactentium ore sibi
 promittebat, opponendâ Principi tenebrarum, gloriam, ne in
 ipsâ quidem adultiori juventute, & hac Academicâ, inveniat:
 sed per internuncium Prophetam triste illud carmen occinat:
*Idcirco de JUVENIBUS illorum non letabitur DOMINUS: quin**

exardescende improbitate, exardescet, imo excandescet, & præ excandescentiâ illâ obscurabitur terra: quippe nemo in FRATREM CLEMENTIA UTITUR: sed singuli CARNEM BRACHII SUI COMEDUNT. Isaia c. IX. 17. 18. 20. Dū sc. in ipso flore flaccescit flos ille, qui florem pietatis in templa, justitiæ in curias, & Principum aulas, Concordiæ in ipsas domos privatas pariter & Collegia inferre ex Academiis debebat, & in illo ipso ætatis & vitæ Academicæ flore, usque adeo non utitur clementiâ Frater in Fratrem, Commilito in Commilitonem, ut potius ad instar rabidi canis, vel antediluvianus Gigantis, Titanum more, sæviat alter in alterum & turbarum magis ac seditionum, quàm Virtutum studiosus, Carnem brachii sui comedat, dum fundus Varronis possidetur ab Antonis, & ad lamentabiles querelas, provocatur, ipsaque Carthagine excitur, impatiens talium turbarum magnus AUGUSTINUS, dum usq; adeo exardescit improbitas, ut vel ipsa vitia religiosa fiant, nec saltē nō vitentur: sed &, sub nō vulgaris generositatis vocabulo, colantur & propagentur, quomodo DOMINUS ὁ παντοκράτωρ de Juvenibus Academicis latabitur? Annon urgebit potius, citra emendationem temporum, illud in eodem Prophetâ publicatum toties intercalare carmen & divinum fulmen, quod nunc universus experitur orbis Christianus: IN HIS OMNIBUS nondum aversa est ira DOMINI: sed adhuc Manus DEI est extenta vid. Is. IX. 12. 17. 21. c. X. 4.?

Vellemus equidem, STUDIOSI JUVENES, taciturnitatis velo obumbrari posse quorundam vestrorum probra, nec, uti vitatâ vel mutatâ velificatione, præterlabamini Syrtes illas, publicæ nobis scriptionis necessitatem imponi: sed *exardescente ita, deliberatâ improbitate, nullus amplior silentio aut dissimulationi locus. Neque verò, num ex consilio veterum ad Rhenum Germanorum, Agrippinensibus per Legatorum ferocissimum (Tacito teste l. 4. Hist.) commendato: Abrumpite voluptates, quibus Romani plus adversus vos, quàm armis valent! in ætate illâ vestrâ, (in quâ Sceptrum libidinis exerere sese, quàm maximè agnovit & profusissimis lacrymis adultior Augustinus l. 2. Confess. c. 2. deploravit,) agatur, perscrutari, & illam ple-*

nam

nam periculi & infamiae Charybdi, illud vesanae libidinis dedecus, quod, prout ceteroqui omni sceleri cognatum supplicium est: ita peculiaris, olim Gallorum, morbus, & deterior omni peste lepra sic castigat, ut jam non solum in Gallia: sed & extra hanc dentur, quos sic novi Graeculi vocent *Φεγυλάζοντας*, exprobrare prolixè, nobis consilium: quod tamen si insitueremus, nihil præter officium, quo jubemur, evaganti in vestro ordine libidini, fræna injicere & luxui lasciviaeque intestabili licentiam intercludere, facturi essemus. Non expectandum sanè, ut indicatur propediem Concilium, in quo præsidentibus utriusque sexus scortis, Lenonibus, prostibulis & quicquid illius contaminati & graveolentissimi gregis est, votorum quadam conjuratione, decernatur: lupanaria ganeasve omnes ex generis humani consortio & Academiae pomœriis exterminandas: ipsi verò, sine quâ Deum nemo videbit, Sanctæ castitati fanum statuendum esse. Nos, quibus studiorum animarumque vestrarum cura commissa, ne, si taceamus, vel exemplo pravo hic præeamus, & vos sine monitore perire permittamus, Deo repetendarum teneamur, illa præcipua sollicitudo obligat. Penetrantissimus est Oculus DEI, & ipsas ignobiles latebras, in quibus impunè & vindice nullo flagitia perpetrari posse putant dedecorum sæpè pretiosi emtores, ipse, purior Oculis, quàm ut connivere sceleri, & intueri molestiam possit, (Chabacuc I. 13. & de quo sanctissimè pronunciatum DAVIDI Psal. CXXXIX. 12. *Ne tenebrae quidem ita obtenebrare possunt, quin TU pervideas: Et nox ut dies illustrat, perinde sunt tenebrae atque ipsa lux!*) Vindex & ultor introspicit. Si exempla poenarum divinarum requiritis ex Pandectis divinis, recordamini Principis Juvenis Zimri, unâ cum scorto Cozbi à Pinchalo in ipso lupanari spiculo transfossi Num. XXV. 8. Recordamini Filiorum Eli, qui illâ licentiosâ nimis libidine infamiam sibi & exprobrationem, in ipsis factis sacris, per hos in orbem & seculum omne iteram talem sunt mercati: *Filii Eli erant nequam, & concumbebant cum mulieribus quae conveniebant ad portam tentorii conventus: & licet discretis illis Eli, quare facitis res hujusmodi, ut ego audiam sermones*

mones malos de vobis à toto populo? Nequaquam Filii mei, non bona est ista fama, quam de vobis audio, tamen non auscultarunt voci Patris sui; Designaturq; mox sceleri supplicium: *DOMINVS* voluit interficere eos, 1. Sam. II. 12, 22. 24. quod cum internuncius ex ipsis castris post alterâ cladē profugus, denunciaret solemnibus verbis: *Arca Dei capta est, & duo Filii tui sunt interfecti!* Senex Heli throno excidens, *ecervices fregit*, ipsa nurus autē prægnans irruentibus partus doloribus, in illâ lacrymosâ nœniâ: *Emigravit gloria ab Israele!* lamentabilis occidit. 1. Sam. IV. 17. & seqq. Si profana requiritis, memento *Levætrica calamitatis, vesperarum Sicularum, Gothorum in Hispaniâ extinctorum* florentissimiq; illic olim regni à *Christianis* ad *Saracenos* barbaros, prodente Juliano Baticam, translati. Juvat summam ex Hispanorum annalibus excerptam in transcurso describere: *Juliani* filia, excellenti formæ dignitate, more patrio, quo Principum liberi in aulâ regiâ educabantur, ipsæque Filix in Gynæcæo regio ministrabant, in obsequiis Regiæ Egilonæ fuerat, quam cum Rex Gothorum (*Rudericus*) deperiret, neque tamen sive gratiâ flectere, sive blanditiis allicere, sive minis & metu frangere posset, invitam atque reluctantem vitavit. Illa ad Julianum Patrem, tum in Africâ legatum literas dedit, in quibus (uti epilogum saltim apponamus) sic peroravit. *Filia tua, tua proles, Gothorum Regis suboles à Rege Ruderico, cujus custodia à te permissa erat, nimirum ovis lupo, incredibili & maximo scelere violata est. Vos, si viri estis, facite, ut gaudium, quod nostro ex dedecore hausit, pestiferum illi sit, neque impune nostro Sanguini & familie illuisse videatur.* Ulturus injuriam Julianus cum Saracenis in Regem conjuravit, & deditâ partim, partim expugnatâ Calpe, Hispali, totaque Batica, Imperatorem Saracenum Ulit Miramomolinum ex Africa in Hispanias immani cum Maurorum agmine deduxit, cui cum Rudericus 100000. fortissimorum ex Gothis suis bellatorum opponeret anno locc XIV. 3. Id. Novembr. ipso Martini in fastis die, de summâ rerum dimicatum, uno prælio tot Gothorum chiliades & in his omnia Hispaniæ ornamenta, perierunt. Rex ipse (cujus fugientis paludamentum, corona, ipsique calcei gemmis distincti ab insequentibus sunt reperti) in fugâ est occisus, humilique tandem post varia barbarorum ludibria tumulo, inscripto: *HIC REQVIESCIT RUDERICUS ULTIMUS REX GOTHORUM!* conditus. Eglona Ruderici vidua, formâ, ætate, prudentiâ insignis, à Miramomolino belli jure evocata, illi Maurorum Imperatori, ad spectu & oratione ejus capto, connubio est juncta. Ita sc. Ruderici regis libido, crudeliter illam ulciscente Juliano, Hispa.

Hispanias Mauris, & illa urbium per orbem terrarum miracula Hispalin, Emeritam, Toletum, Caesar Augustam ceterasque magno numero urbes patefecit, quodque 300. annis amplius steterat Gothorum regnum, tunc extinxit. Sed ad *princeps* nobis nunc *institutum* redimq. Post alia pulcherrimo quondam Corpori Academico adnata tubera, mediocriter superioribus annis publicâ autoritate curata, invidens studiis eminentioribus quietam industriam, & sceptris Academicis autoritatem placidam, stygius & appetentissimus humani cruoris & animarum in Tartarum mittendarum, Serpens, *plenus sevitia, sedâque cupidine fervens*, velut extrusâ ex pestibus Erebi furiarû una Megarâ, usq; adeo in Republ. nostrâ literariâ, immixtis *Ducllorum* horridorum consiliis & truculentis spectaculis turbavit, ut, ni maturè portum salubribus consiliis occupemus, metuendum, ne *pietatis, justitiæ* omnimoda que sapientiæ (talis enim esse ACADEMIA debebat) hoc sacrarium, per horrida talia sevitia exempla profanatu, penitus evertatur & vel Pelion Ossæ imponatur. Nolimq; equidem inficiari, jam olim quoq; in studiosâ nostrâ Juventute exorbitatum, perpetrataque in hoc ipso crimine, quæ abhorrent à Catonis intonsi auspiciis veterumq; normâ. Ceterum usq; adeo invaluisse *Monomachiarû multitudinem*, tantisq; sive numeris, sive crudelibus modis, quibus nuper sese ostendit, asperatam illam, non adeo recordamur: unde, licet extra deliberatam nequitiam remissior aliquando sententia temeritati & fervori juvenili, ex falsa strenuitatis opinione, exorbitanti, dictata fuerit, invalescente tamen magis atq; magis tanto Duellorum & furorum regno, severioribus remediis obviam ire; effundendoq; (prout proxumè factum non sine horrore & detestatione recordamur) humano cruori objcem ponere, quin id agere, ne Hydra secto corpore firmior, vinci dolentem crescat in Herculem, ipsa conscientia & officii nostri ratio publica; necessitas imperavit. Quocirca, cum in Academico Senatu sententiæ nostri ordinis nuper exquirerentur, communi suffragatione placuit, in hoc crimine deinceps ex illâ, quæ in statutis antiquis continetur, Lege, pœnam *duellatoribus* decernendâ, & irrogandâ esse, ac ne quis deinceps ignorantiam alleget, & statutum illud vetus describendum, & tum illud, tum decretum mitigationis petulantibus & præterocibus illis *Monomachis* deinceps non expectandæ, peculiari Programme publicandum. Et Statutum quidem ita habet:

Ut publica tranquillitas firmitus muniatur, & occasiones cadum & tumultuum vitentur, Relegationis penam denunciamus petulantibus & Seductoris, grassatoribus, qui inter se, vel intra mania, vel extra oppidum conflagunt. Quisquis ergo sive ad dimicandum provocans sive provocatus, conflagit, is sciat, se hoc ipso facto in relegationis penam incurrisse. Quid enim interest (ut Tertulliani verbis utamur) inter provocantem, & provocatum nisi quod ille prior in maleficio deprehendatur, at ille posterior: tamen u-

terq;

revq; laesi hominis Domino reus est, qui omne nequam & prohibet & damnat.
 Nō obtusa aded, o Nostris! gestatis pectora, ut nō ex luculentis his verbis, quæ
 & Antecessorum, Legis conditorum mens fuerit, & nostra sit, perspicere pos-
 sitis, dummodo non externū illud & inane fortitudinis simulacrū, illa erroris
 nubes, ingenii vobis iudiciūq; acie transvertat. Nullus hīc mentali reservationi,
 & ex hāc pravæ Legis interpretationi locus. Augurium crimini & provocationi
 additur, dum vel potentissimis contumeliarū animis patientia expugnatur, ut
 ne ipsi quidem Socrati impactum à profligato nebulone colaphū, vel Philippo
 Macedonum Regi indignā Parrhesiastæ Atheniensis vocem: *Resim sumito,*
 & *te suspendito!* sive Spartanā generositate concoquere, sive Therisitæ dicā scri-
 bere permitteretur: sed vel cum Asino calce pulsante *ferro,* & *punctim* quidē
 ac *sine moderatore* causam disceptare, vel proscriptionem ex Generosorū &
 ipsorū Græciæ sapientum contubernio, sustinere juberetur. At quantō sancti-
 & Legis divinæ sanctioni consonantius illud in Δώρῳ Βασιλικῷ, à sapientis-
 simo Britanniarū Rege, datū Filio Principi Juventutis consiliū patriū: *Singulari*
certamine jus tuum non disceptato! quod, ante Jacobum VI. Carolus V. Cæsar
 invictissimus, & Daniæ Rex, utut provocati, majore gloriā, reputantes, non
 debere sua & tot populorum fata uno ense librari, ipso facto comprobant.
 Nec *Goliathos* & *Davides* hēic objicere licet, vel illam olim ex castrorum pa-
 cto inter *Antonium Mariam Severinatem Italam* & *Sonnenbergium Germa-*
num initam Monomachiā, in quā Victor Germanus, prout in illā David, uno
 Goliatho cæso, suis castris victoriam, Philistinis calamitatem attulit. Nullas
 hīc tabulas gentis, & duelli pro ingentibus castris delati, tantā sive necessitate
 sive autoritate, vobis proferre licet. Agnoscite potiūs, quā Carnifex hoc
 fatum sape in uno Juvene spem totius patriæ momento efferat. Agno-
 scite cum pudore vestro, non Cæsares & Reges Christianos solū: sed
 & Turcas spuriam illam fortitudinem publicis legibus & pœnis coer-
 cere &, ut, vel in ipso infami ligno animam exhalent illi validi duellato-
 res, publicis Edictis imperare. Desinite *Πισου Νέεξ!* Nostris lucer-
 nis *Medus acinaces* immane quantum discrepat! Igitur tollite *barbarum*
morem, & Dei ac Legis superioris memores, sive *Sanates* resipiscite,
 sive *Fortes* perseverate!

P. P. sub Sigillo Rectoratus, d. VII. Maji
 A. O. R. clb lbc LXXII.



Hispanias Mauris, & illa urbium per orbem ferrar-
 ritam, Toletum, Cæsar Augustam ceterasque
 patefecit, quodque 300. annis ampliùs steterat
 extinxit. Sed ad *princeps* nobis nunc *institutum*
 primo quondam Corpori Academico adnata tubi-
 annis publicâ autoritate curata, invidens studiis e-
 dustriam, & sceptris Academicis autoritatem pla-
 simus humani cruoris & animarum in Tartarum
nos sevitia, fœdâque cupidine fervens, velut extri-
 rû una Megarâ, usque adeo in Republ. nostrâ literari-
 dorum consiliis & truculentis spectaculis turbavit,
 bribus consiliis occupemus, metuendum, ne *pietati*
 sapientia (talis enim esse ACADEMIA debebat) ho-
 lia lævitia exempla profanatû, penitus evertatur &
 Nolim equidem inficiari, jam olim quoque in studi-
 tatum, perpetrataque in hoc ipso crimine, quæ
 auspiciis veterumque normâ. Ceterum usque adeo
multitudinem, tantisque sive numeris, sive crudelibus
 ostendit, asperatam illam, non adeo recordamur:
 nequitiam remissior aliquando sententia temerita-
 strenuitatis opinione, exorbitanti, dictata fuerit,
 atque magis tanto Duellorum & furorum regno, fe-
 ire, effundendoque (prout proxumè factum non sine
 recordamur) humano cruori objcem ponere, quæ
 corpore firmior, vinci dolentem creiscat in Hercu-
 ficii nostri ratio publicaque necessitas imperavit,
 co Senatu sententia nostri ordinis nuper exquirere
 one placuit, in hoc crimine deinceps ex illâ, quæ
 tur, Lege, pœnam *duellatoribus* decernendâ, & irro-
 ceptis ignorantiam alleget, & statutum illud vetus
 tum decretum mitigationis petulantibus & præ-
 deinceps non exspectandâ, peculiari Programmatum
 tum quidem ita habet:

*Ut publica tranquillitas firmius muniatur, &
 multum vitentur, Relegationis panam de
 Segno deinde, gressatoribus, qui inter se, vel intra
 constringunt. Quisquis ergo sive ad dimicandum p
 constringit, is sciat, se hoc ipso facto in relegationis p
 nim interest (ut Tertulliani verbis utamur) inter
 nisi quod ille prior in maleficio deprehendatur,*

ispalin, Emero urbes
 gnum, tunc
 alia pulcher-
 superioribus
 quietam in-
 & appetentif-
 Serpens, ple-
 Erebituria
 llorum horri-
 portum salu-
 imodaque
 er horrida ta-
 e imponatur.
 antute exorbi-
 tonis in tonfi
 nomachiarû
 us nuper sese
 deliberatam
 renili, ex falsa
 amen magis
 mediis obviam
 etestatione
 Hydra secto
 cientia & of-
 in Academi-
 di suffragati-
 quis contine-
 le quis dein-
 & tum illud,
 Monomachis
 i. Et Statu-

dium & tu-
 culantibus &
 oppidum
 provocatus,
 se. Quid e-
 provocatum
 r: tamen u-
 terq;

